

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

tantum quadam in se ipso distinctus, non est circa sequentia entia partibilis, sed perpetuo secum manens veluti & Vnum in sequentia non distribuitur. Non enim secundum alteritatem illam suam internam in multa distinctim effunditur, sed vnum tantum secundum rationes feminales, iam actu & essentialiter simul multa existens, procreat, Animam videlicet, de qua mox dicemus. Hunc intellectum vocant. Magnum Deum, & secundum Deum, quinetiam non aliquem, sed omnem Deum, à quo videlicet ut primo & omni ente solo, immediate omnia entia, ac proinde omnes Dei essentiam suam sortiantur. Vocant & verbum Dei, & actum productum ipsius Boni & item imaginem Dei, quod genitoris bonitatem prægnante vbertate & gignendi propensione pro viribus imitetur, quas vires cum à genitore accipiat, usque adeo illi cohæret, ut alteritate quadam solum videatur ab eo discretus. Et Plato Ideam quoque vocat, quod exemplar vnamque; indiuisam omnium speciem in sua essentia comprehendat. Vocat & causam & mundi artificem, quod primum ens factus, omnium deinceps entium parens sit.

Ani-
ma.

Huius Mentis progenies est Anima mundi, tertius Deus, non aliter inde egressus quam illa ex Vno, est enim ipsa Mentis Verbum, est lumen Mente mundi fabricatore effusum, est actus & quidem tota extra productus & vita viuificans inferiora, quemadmodum intellectus hanc viuificat, ipse ad Vnum conuersione viuificatus; & quemadmodum Ens ad genitorem suum respiciens, Intellectus euadit, ita & Anima Mentem intuens, Ratio fit ipsius Intellectus, lumen atque vestigium, semper inde dependens, & inde quidem illi coniuncta, inde vero inferiora comprehendens, vnum & multa simul existens secundum Parmenidem: Vnum quidem, quia sub vna communi essentia intellectuali rationes omnium formarum suscipit, atque impletur, dum in patrem intellectum respicit: & simul quoque multa, quia dum in se conuertitur, rationes feminales omnium formarum singulatim concipit, & ordine enumerat, ac præ nimia foecunditate parturiendo, intus incalescens ipsas animat, iisque ad generandas in Materia formas, videlicet ad creandum sensum in animalibus, naturam vegetatricem in plantis, motum in cælestibus corporibus, & quicquid præterea est, quod ad ordinem, speciem, naturam, proportionem & motum rerum pertinet, motus initium præstat. Itaque sic in sua essentia constituta anima, cum ut Vnum & intellectus, ipsa quoque vbique sit, & in omnibus adsit, non potest non singula in hoc mundo visibili ordinare, disponere, vegetare, animare, & vnumquodque ad proprium suum esse & formam, veluti incubando perducere; verum non ut Mens in se manet impartibilis, sed egreditur quodammodo ad singula corpora, illisque; alio quolibet loco aliter insinuat, videlicet secundum cuiusque Speciei rationem, non quidem in partes à se mutuo diuisas distributa. Tota enim & secundum substantiam essentiamque; pariter omnem indiuisa, vbique & in singula simul est, sed per feminales & specificas rationes, quæ multæ & variæ sunt, alibi aliter suas vires exercendo operatur, & sui simulachra, videlicet species in rebus facit. Quare tametsi in sua essentia, vna & simul multa sit, & per huiusmodi feminalium & specificarum rationum diuersum influxum fiat diuisibilis, non tamen propria ad diuisionem necessitate hoc fit, ut quæ tota secum perpetuo manet, sed quia corpora diuisibilitate propria indiuisibiliter eam accipere nequeunt, ut partitio hæc corporum non Animæ passio sit, ac necessitas.

Hæc tria in diuinis principia, hoc quo narraui modo Platonici describunt, ac primum quidem eorum non concedunt, aut actum esse alicuius (ut neque debet) aut aliquam actionem habere, esse tamen potentiale, id est actus proferendi potestatem, retenta Vnius simplicitate concedunt. Intellectum autem actum esse ab vno emanantem. Animam quoque actum ipsius intellectus, & vtrum libet horum differentem ab illo à quo effluxit. Maius item ac melius esse quod gignit, illo quod à se gignitur, ideoque intellectum minorem ac deteriolem Vno esse, meliorem autem ac Maiorem Anima, & similiter Animam speciebus à se productis, Hæc fere sententia est vniuersæ Platoniorum theologiæ, cui hanc sequentem verioreni opponimus.

Prolegomenon Fabricæ mundi Caput tertium.

Vera de Deo eiusque Trinitate, ex scripturæ aditis confessio.

Vnum nobis Deum, sub tribus hypostasibus distinctis, at non à se mutuo diuisis & separatis, proponit verbum Dei, quarum quælibet suas habet proprietates, quibus à reliquis distinguitur. Sunt autem Pater, Logos siue Filius, & Spiritus sanctus, ideo vnum existentes, non quia vnius sunt essentia, ut homo homini, sed quia vna numero sunt essentia, quippe cum à se mutuo sint inseparabiles, totaque essentia Patris latens, velut æterna generatione in Logon eradiet, ita ut Logos sit lucidus character & expressa Patris essentia, eademque; essentia à Patre per Logon in vniuersum mundum splendeat, qui splendor Spiritus sanctus existit, vna est omnium trium deitas, omnipotentia, virtus, sapientia, bonitas, voluntas, nec modo tria villo modo dici possunt, quum vna numero sit omnium vis & potestas, & actio, ut Logos ipse nos docet Iohan. 17. sic Patrem alloquens: Mea omnia tua sunt, & tua mea. Item Pater in me manens ipse facit opera Iohan. 14. & Ioh. 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Per Spiritum sanctum quoque Patrem & Logon omnia operari passim in scripturis sanctis patet. Et Sap. 1. dicitur Spiritus sanctus Orbem terrarum repleuisse, ita ut omnium trium sit vna communis operatio, sed secundum personalem proprietatem, aliter à Patre, aliter à Filio, aliter à Spiritu sancto procedens. Itaque non tres Deos, neque tria rerum principia ponimus, quemadmodum Plato, sed vnum indiuisum